



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio XLVI. Vtrùm Deus possit hominibus obligari ex propriâ, & rigorosâ
justitiâ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

facto initio, & meritis positus, acquirat jus rigorosum, & commutativum ad primum; siquidem cum hoc stare potest aliud jus minus rigorosum secundum diversam formalitatem, quod pertineat ad justitiam distributivam.

974. Dico 8. Licet justitia remunerativa Dei aliquid participet de commutativa, & aliquid de distributiva, ut diximus, magis tamen accedit ad specificam rationem commutativam, quam distributivam. Ita P. Ripal. *tomo 2. d. 83. num. 83.* & videntur tenere plures alii infra citandi. Probatur, quia hæc justitia non participat propriam, & principalem differentiam justitiæ distributivæ, prout hæc à commutativa recedit; ergo minus ad hanc, quam ad commutativam accedit.

975. Probatur antecedens, quia ad justitiam distributivam, prout differt à commutativa, exigitur, ut Deus gratiam, & gloriam tribuat cum mutuo respectu unius ad alium, ac dependentia unius ab alio, ita ut Petrus accipiat magis, quia Paulus accepit minus, accepturus tamen minus, si Paulus acciperet magis, quod justitia commutativa non servat, etiam si interdum pluribus personis stipendium, & mercedem pro cuiusque merito distribuat; sed Deus non tribuit Beatis primum cum hac proportionem, & respectu mutuo unius ad alium; siquidem eisdem gradibus gratiæ & gloriæ potiretur Petrus, etiam si Paulus, & alii Beati plus, minusve accepissent; cum non sit credibile D. Petrum minus gratiæ & gloriæ accepturum pro suis meritis, si D. Paulus plus, quam de facto meruit, & accepit, meruisset, & accepisset; ergo Deus retribuens primum iustorum meritis non exercet justitiam distributivam strictam, prout hæc differt à commutativa; ac proinde huiusmodi justitia remunerativa Dei magis accedit ad commutativam, quam ad distributivam.

976. Hactenus diximus, Deum remunerare iustorum merita condigna ex obligatione justitiæ, tum legalis, tum distributivæ, tum magis propriæ commutativæ. Sed cum hæc doctrina hactenus tradita magis supponat, quam probet, posse Deum hominibus obligari ex stricta justitia, lentiùs hic de hac questione agendum nobis est: tum quia hic à pluribus tractari solet: tum quia ex illius discussione, & explicatione dependent alia hic, & alibi intelligenda: tum etiam quia sic facile solventur, quæ contra præcedentes conclusiones adduci poterunt, quin opus sit alias materias investigare. Sit igitur.

SECTIO XLVI.

Utrum Deus possit hominibus obligari ex propria, & rigorosa justitia?

977. PRIMA sententia negat, posse Deum strictam, ac rigorosam justitiam hominibus obligari. Ita *Alens. 1. part. q. 39. memb. 1.* *Albert. 1. part. q. 80. memb. 2. art. 2. p. 2.* *Durand. in 2. dist. 27. q. 2. & in 4. dist. 46. quest. 1.* *Palud. ibid. art. 1. conclus. 3. & 4. Greg. in 1. dist. 17. q. 1. art. 2. conclus. 2.* *Major. in 2. dist. 27. q. unica.* *Marfil. Scot. in 4. dist. 46. q. unica.* § De primo videndum. *Bafol. ibid. art. 1. Gabr. Trigosus in 1. part. D. Bonav. Pesant. Lorca. Salon. Medin. Stapleton. Ofor. Navarret. Bannez.* Item ex nostris, *P. Vafq. 1. part. d. 85. & 86. & 1. 2. d. 213. & tomo 1. in 3. part. d. 8. &*

tomo 4. q. 85. art. 3. dub. unico. *P. Molin. 1. part. q. 21. art. 1. § Quinto addendum.* & *tomo 1. de just. d. 7. § Observa. P. Arrub. 1. part. q. 21. art. 1. num. 5.* *P. Less. lib. 2. de justit. cap. 18. dub. 8. num. 57.* & *lib. 11. de Perfect. Divin. cap. 6. d. n. 61.* *P. Torrez. 2. 2. tomo 1. d. 5. dub. 1. n. 7. & dub. 2. num. 1. & d. 6. dub. 2. P. Agid. d. 8. de Merit. dub. 3. & tomo 2. de Sacram. d. 1. de Penit. dub. 4. n. 23.* *P. Becan. de Incarnat. cap. 15. conclus. 3. P. Gasp. Hurt. ibid. d. 1. diff. 10. P. Marat. tomo 2. tract. de just. d. 14. P. Lug. tomo 1. in 3. part. d. 3. P. Sanch. lib. 4. sum. cap. 11. n. & alii.*

Secunda sententia affirmat, posse Deum hominibus obligari propriam, ac veram justitiam à commutativa, & distributiva præcedente. Ita *Magist. in 4. dist. 46. § Sed quomodo.* *D. Bonav. ibid. art. 1. q. 4. & in 2. dist. 27. art. 2. q. 3.* *Aureol. in 1. dist. 46. art. 1. & 4. Agid. in 2. dist. 27. q. 2. art. 3. & 4.* *Richard. in 4. dist. 4. art. 1. q. 1. Argem. ibid. q. 1. a. 4. Carthusian. ibid. q. 1. & in 2. dist. 27. q. 2. Capres. in 1. dist. 45. q. unica, art. 1. Deza. Caiet. 2. 2. q. 6. a. 4. ad 1. Ferrar. 1. cont. gent. cap. 93. § Sed dubium.* *Sor. lib. 3. de just. q. 5. art. 4. Richard. Vega. Hofius. Aragon. Zumel. Rub. Cabr. Alvarez, Sylvius, Ledelm. Faber. Montefin. Ripa. Albelda, Nazarius.* Item ex nostris, *P. Bellarm. lib. 5. de justit. cap. 14. 16. & 17. R. Soar. tom. 3. de grad. lib. 12. cap. 30. & tomo 1. in 3. p. d. 4. sect. 5. & 6. & Opuscul. de Liber. Divin. d. 2. sect. 2. & opuscul. de just. Dei. P. Valent. 1. p. q. 21. pun. 1. P. Ragusa in 3. p. d. 3. § 6. & d. 10. § 2. P. Azor. 10. 3. lib. 1. cap. 10. q. 3. P. Sal. tom. 1. in 1. 2. 17. 7. d. 7. num. 5. P. Albertin. tomo 1. Corol. quest. 18. ex primo princip. dub. 3. P. Rebel. lib. 1. de just. quest. 4. sect. 3. P. Granad. 1. part. tomo 2. tract. 7. d. 4. sect. 2. P. Tanner. tomo 4. d. 1. q. 2. dub. 6. P. Ruiz. de Volunt. Dei. d. 58. P. Petr. Hurt. tomo 1. in 3. part. d. 12. sect. 13. P. Reynaud. lib. 3. de Virtut. num. 59. P. Fasol. 1. part. q. 21. art. 1. P. Arriaga tomo 3. d. 31. & de Incarnat. d. 11. a. sect. 1. P. Præposit. 3. part. q. 1. art. 2. dub. 4. P. Compton. tomo 1. d. 35. sect. 5. & alii.*

Advertes primò, quæstionem non esse, an hæc justitiæ obligatio sit adeò stricta, & rigorosa, ut omnem prorsus gratiam Dei largientis præmia excludat, ut plures primæ sententiæ hanc justitiæ obligationem intelligunt; siquidem utriusque sententiæ duces admittunt, plurimam misceri gratiam in remuneratione meritorum: tum ratione auxiliorum præcedentium merita: tum ratione promissionis divinæ ultro proponentis præmia: tum ratione justificationis gratuita ad merendum necessarie: tum ratione largitatis acceptantis ad mercedem obsequia, quæ innumeris titulis exigi poterant, ut debita; quæ omnia nullus Theologorum negat præsupponi ut omnino gratiosa à Deo; sicque obligatio justitiæ, de qua agitur, non excludit gratiam Dei antecedentem, sed eam positam, inquitur, an possit Deus aliquo jure creaturæ obligari?

Advertes secundò, non esse controversiam, an Deus sic obligetur ex justitia, ut à se abdicet dominium præmii, quod confert? Ut aliqui necessarium judicant ad justitiam in Deo admittendam; siquidem etiam Doctores, qui illam admittunt, concedunt illam prout sic Deo repugnare, negantque prorsus dominium Dei absolutum esse à Deo abdicabile; cum enim sit Attributum ipsi Deo necessarium, nulla ratione libero ejus arbitrio subiectum est. Unde sola difficultas est, utrum hoc supremum dominium Deo necessarium, possit componi, & stare cum obligatione justitiæ, quam jus meritorium creaturæ Deo imponat ad præmia ei retribuenda?

Advertes

981. Adverte tertio, totam disputationem continere: Utrum Deus retribuens pramia respiciat jus aliquod meritis, quo sic obligetur, facta ejus promissione de remunerando opere condigne merito, ut non retribuens vim inferat creaturæ merenti? Nam ex jure, quod creatura habet in Deum, & ex debito, seu obligatione, quâ Deus adstringitur creaturæ, facta ejus promissione (non enim aliud esse potest objectum formale Justitiæ Divinæ) explicanda est tota ratio propriæ justitiæ in Deo. His positis.

982. Conclusio fit: Deus potest obligari creaturæ ex propria, & rigorosa justitia. Ita omnes supra citati pro secunda communiori, & probabiliori sententia. Probatur primò authoritate Scripturæ ad Rom. 4. ibi: *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ubi nomine mercedis, & debiti satis significatur obligatio justitiæ, ut ibi exponunt D. Chrysost. hom. 8. D. Anselm. & D. Thom. lect. 1. Et ad Hebr. 6. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri; sed nullus est propriè injustus, nisi violet debitum justitiæ propriæ; ergo si Deus non remunerans opera justorum esset injustus, teneret ex obligatione justitiæ illa remunerare. Confirmatur ex D. August. lib. de Nat. & Grat. cap. 2. Non enim injustus est Deus, qui justos fraudet mercede justitiæ. Idemque habet lib. 4. contr. Julian. cap. 3.*

983. Secundò ex 2. Tim. 4. *Reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus justus Judex. Ubi D. Thom. lect. 2. Corona justitiæ dicitur, quam Deus ex sua justitia reddet. Et D. Aug. tract. 3. in Joan. ad medium. Audi illum, ait, jam flagitantem debitum, qui primò indebitum susceperat gratiam. Et D. Bernard. lib. 1. de Grat. & liber. arbit. Promissum quidem, ait, ex misericordia, sed jam ex justitia persolvendum. Est ergo, quam Paulus spectat, corona justitiæ, sed justitiæ Dei, non suæ. Justum quippe est, ut reddat, quod debet. Et D. Anselm. *Reposita est mihi corona justitiæ: quam non dabit, sed reddet mihi quasi debitam Dominus IESUS. Et Matt. 23. ex parabolâ Dei conducentis operarios in vineam, in qua multa manifestè denotant Dei justitiam: Primò contractus conductionis ex denario diurno. Secundò illud: Quod justum fuerit, dabo vobis. Tertiò: Redde illis mercedem. Quartò: Tolle, quod tuum est, unicuique autem debetur, quod suum est, ex justitia stricta. Unde D. Aug. tract. 3. in Joan. ad medium. Si tibi debebatur, merces reddita est, non gratia donata.**

984. Tertiò ex Isai. 56. *Venite, emite absque argento. Et Apoc. 1. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum. Et Matth. 13. Vendidit omnia, quæ habuit, & emit agrum illum. Et infra: Inventâ unâ pretiosâ margaritâ, abiit, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam: Ubi bona spiritualia per metaphoram significata continent obligationem justitiæ, quâ res vendita debetur emptori. Sic etiam Sancti Patres negotiationem cælestium mercaturarum, justos autem suis bonis operibus negotiantes mercatores appellant. Ita D. Cyrill. in Isai. 55. D. Amb. serm. 6. de Margarita. D. Aug. serm. 22. de verb. Apostol. D. Basil. hom. 12. in Prov. D. Chrysost. hom. 12. in Matt. & alii: Mercatura autem non excutetur absque contractu & obligatione justitiæ; ergo &c.*

985. Probatur quartò authoritate Concil. Arausican. can. 18. *Debetur merces, inquit, bonis operibus, si stant, sed gratia, quæ non debetur, præcedit ut stant. Ubi agnoscit debitum mercedis absque debito gratiæ auxilantis, aut justificantis. Et Concil. Senon. in Decret. fidei 16. Et, ait, qui fidem servaverit, & certaverit bonum certamen, coronam justitiæ reddet in illa*

die justus judex. Et Concil. Trid. sess. 6. cap. 16. Bene operantibus, inquit, usque in finem proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filijs Dei per Christum IESUM misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis reddenda. Hac est enim illa corona justitiæ, quam post suum certamen, & cursum repositam sibi esse, aiebat Apostolus. Quibus in locis pendendum est, doctrinam Conciliorum intelligendam esse secundum proprietatem verborum, ne pateant hæreticorum insidii, & fallacii.

Probatur quintò authoritate Sanctorum Patrum. D. Chrysost. hom. 3. in Matt. post medium. *In salvari te per gratiam consistere, ut se ille tibi debitorem fateatur. Quando enim aliqua præclare fecerimus, habemus illum debitorem ob res bene gestas. Et D. Amb. lib. 1. Offic. cap. 16. Quid poscis, inquit, quod tibi debetur? Et D. Aug. in psalm. 31. præfat. & in psalm. 83. & lib. de Grat. & liber. arbit. cap. 8. & serm. 16. de verb. Apost. ibi: In his, quæ jam habemus, Deum laudemus largitorem: in iis, quæ non habemus, teneamus debitorem: debitor enim factus est nobis, non aliquid à nobis accipiendo, sed quod ei placuit promittendo. Et D. Fulgent. lib. ad Monim. post medium. Ille, ait, author est debiti, qui author est doni; nam & se ipsum dignatus est facere debitorem. Et D. Gregor. hom. 37. in Evang. Eum, inquit, cui ipse debitor fuerat, cepit habere debitorem. Et D. Cyprian. lib. de oper. & eleemos. ad finem. Vir misericors, ait, Deum sibi computat debitorem. Confirmatur ex iis, qui Deo justitiam adscribunt, ut D. Aug. Epist. 105. & lib. de Grat. & liber. arbit. cap. 6. D. Basil. hom. 12. in Prov. D. Amb. in psalm. 118. serm. 7. D. Prosper. lib. sentent. 28. D. Ansel. ad Hebr. cap. 6. post medium. D. Thom. ibid. lect. 3. & 1. 2. q. 22. art. 3. & quest. 112. art. 3. & 2. 2. quest. 58. art. 2. ad 3. & 3. part. q. 1. art. 2. ration. 5.*

Dicent 1. Testimonia prædicta tum Scripturæ, tum Conciliorum, tum Sanctorum Patrum, solum conficere, & probare, dari in Deo justitiam generalem, quæ complectitur omnem virtutem operantem juxta debitum honestatis, & rectæ rationis; non autem probare de justitia speciali, & stricta. Sed contra primò, quia justitia generalis complectitur etiam misericordiam, liberalitatem, & similes virtutes; Sed Scriptura, Concilia, & Sancti Patres ita testantur, Deum reddere justis præmia per justitiam, ut excludant reddere per misericordiam, aut liberalitatem; siquidem distinguunt inter gratiam liberaliter præcedentem, & misericorditer donatam, & mercedem consequentem ex debito, & justitiâ redditam; ergo intelligunt eam retributionem non fieri per justitiam generalem, sed specialem, & strictam.

Secundò, quia testimonia illa concedunt justorum meritis ad retributionem augmenti gratiæ, & gloriæ justitiam illam, quam negant ad collationem primæ gratiæ; sed justitia, quam negant ad collationem primæ gratiæ non est generalis justitiæ, pro ut comprehendit etiam liberalitatem, & misericordiam; alioqui collatio primæ gratiæ non esset ex liberalitate, & misericordia Dei; ergo justitia, quæ collationi primæ gratiæ negatur, & justorum meritis conceditur ad augmentum gratiæ, & gloriæ, non est generalis, sed specialis, & stricta.

Tertiò, quia testimonia illa referunt justitiam Dei in ordine ad reddendum unicuique secundum opera sua, sive bona, sive mala; sed justitia reddens malis debitam pœnâ non est generalis, sed specialis; ergo etiam justitia reddens bonis debitam mercedem erit specialis, & non generalis. Quartò, quia justitia generalis respicit id, quod est à Deo debitum sibi, suæque

suaque bonitati; sed iustitia, de qua mentionem faciunt prædicta testimonia, respicit homini debitum à Deo; ergo non est iustitia generalis, sed specialis.

990. Dicent 2. Testimonia illa nomine iustitiæ intelligere fidelitatem implentem promissam, quæ est pars potentialis iustitiæ. Sed contra primò, quia prædicta testimonia meritis de condigno sequentibus iustificationem tribuunt iustitiam, quam negant meritis de congruo antecedentibus iustificationem; sed his non negatur fidelitas implendi promissam; iustificatio enim etiam est promissam contritioni, & congruæ dispositioni, ut constat Isai 1. 16. & Zachar. 1. 3, ergo non sola fidelitas implendi promissam, sed alia iustitia strictior tribuunt meritis de condigno.

991. Secundò, quia nemo vocatur iniustus solâ violatione fidelitatis, & simplicis promissionis; sed prædicta testimonia asserunt, fore Deum iniustum, si neget præmia meritis condignis disposita; ergo loquuntur de alio iustitiæ gradu strictiori, quam solus fidelitatis. Tertiò, quia talia testimonia adscribunt iustitiæ Dei reddere unicuique secundum opera sua, sive mercedem, sive pœnam; sed nulli redditur pœna ex mera fidelitate; ergo neque ex mera fidelitate, sed ex iustitia strictiori redditur merces, sive præmium.

992. Dicent 3. Prædicta testimonia sub vocibus iustitiæ comprehendere virtutem gratitudinis. Sed contra primò, quia non est gratitudinis satisfacere debito contracto ex promissione, & conventionione; sed prædicta testimonia adscribunt iustitiæ Dei satisfacere tali debito; ergo sub tali iustitia non comprehenditur gratitudo. Secundò, quia iustitiæ Dei adscribitur retribuere iustis, & peccatoribus secundum opera sua; sed his non disponitur pœna ex gratitudine; ergo neque illis præmium & merces. Tertiò, quia Deo propriè, & strictè repugnat gratitudo, ut supra diximus num. 957. siquidem ejus objectum est beneficium acceptum, cui gratiam referat; Deo autem repugnat accipere beneficium ab homine, eique tanquam benefactori gratiam referre; ergo &c. Quartò, quia gratitudo ex Aristot. lib. 4. Ethicor. cap. 3. respicit conferentem beneficia tanquam superiorem; sed Deus non potest hominem ut superiorem respicere; ergo &c.

993. Dicent 4. Prædicta testimonia intelligenda esse de iustitia legali gubernatrice secundum æquitatem Providentiæ. Sed contra primò, quia hæc iustitia potest intervenire adtribuendum dona congruæ dispositioni, & merito consentanea; sed prædicta testimonia admittunt meritis condignis iustitiam, quam negant congruis; ergo aliam strictiorem, quam legalem intelligunt. Secundò, quia loquuntur de iustitia, quæ respicit debitum contractum ex pacto, & promissione; sed iustitia legalis tale debitum non respicit; siquidem licet Deus antecederet non promississet mercedem, nec pactus fuisset cum homine, posset ex iustitia legali bonis iustorum operibus præmium tribuere; ergo de alia iustitiâ distinctâ à legali locuti sunt. Tertiò, quia de ratione iustitiæ legalis non est satisfacere debito, & obligationi exercentis iustitiam, sed constituere æqualitatem inter debita, & jura, sive exigentias aliarum rerum; atqui iustitia, de qua loquuntur prædicta testimonia, respicit debitum, & obligationem specialem ipsius Dei, quâ ipse Deus ex contractu, & promissione debitor constituitur; ergo licet sub eis contineatur ratio iustitiæ legalis, prout supra diximus num. 968. alia tamen præter illam specialis iustitia intelligitur.

994. Prob. sextò rationibus: Prima, quia hæc iustitia ex suo conceptu formali nullam dicit imperfectionem,

imò dicit perfectionem; siquidem perfectio est jus proprium unicuique servare; sed Deo solum id, quod dicit imperfectionem, denegandum est; ergo &c. Confirmatur, quia Sacra Scriptura, Concilia, & Sancti Patres passim Deo adscribunt iustitiam, sicut liberalitatem, misericordiam, & alias virtutes; sed misericordia, liberalitas, & alia virtutes proprio, & stricto conceptu tribuuntur Deo, demptis imperfectionibus, quas dicunt in creaturis; ergo etiam sic tribui debet iustitia.

Secunda ratio est, quia actus, quo Deus tribuit homini gloriam, quia sua hominis est jure proprietatis, est actus iustitiæ strictæ: tum quia hujusmodi actus non potest pertinere ad misericordiam, liberalitatem, fidelitatem, gratitudinem, aut aliam virtutem, quæ iustitia non sit, ut patet ex supra dictis: tum etiam, quia iustitia stricta à jure, aut fuitate alterius, quam formaliter respicit, sumit suam rationem specificam; sed Deus potest tribuere homini gloriam, quia sua hominis est jure proprietatis; siquidem creatura potest sibi acquirere jus proprietatis, quo faciat suam gloriam æternam; ergo Deo potest competere actus strictæ iustitiæ.

Prob. minor primò, quia Theologi communiter tribuunt iustis jus ad gloriam, tanquâ filii adoptivi, & gloriæ hæreditibus; sed adoptio, & hæreditas tribuunt jus ad bona hereditaria, eoq; jure formaliter constituntur; ergo &c. Secundò ex Mat. 20. Tolle quod tuum est. Et Mat. 5. ubi Regnum celorum, dicitur esse pauperum, & eorum, qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Tertiò, quia homini tribuitur gloria ex pacto, contractu oneroso, conventionione, & scedere, quæ propriè interveniunt inter Deum, & hominem; sed horum effectus proprius, & specialis est dare jus ad rem, de qua est pactum, contractus, & conventio; ergo &c. Quartò, quia Deus prædicatur à Sanctis Patribus debitor homini; sed hujusmodi debitum est effectus secundarius juris, quo creatura facit sua bona cælestia; ergo &c. Quintò, quia ad dominium Dei pertinet posse sua bona aliis dare, aliosque suorum bonorum dominos constituere, prout voluerit, ut fieri potest in creatis quoad dominium creatum; sed id fieri non potest absque jure proprietatis in bona; ergo &c.

Dicent, Deum posse tribuere homini jus ad gloriam, quo illam suam faciat tanquam verus dominus; non tamen jus, quo Deum obliget ex iustitia ad illam reddendam; siquidem hæc obligatio est effectus secundarius juris dependens ab imperfectione alterius, quem obligat, quo pacto jus privatum unius civis potest obligare alium civem, non ita tamen Rempublicam ob excellentius, & altius dominium ipsius Reipublicæ. Sed contra primò, quia jus creaturæ ad gloriam obligat aliquem, ut eam sibi conferat, cum eam à se non habeat, nec habere possit; sed alius non est, nisi solus Deus, à quo eam possit exigere, & sperare; ergo Deum suo jure obligat ad illam tribuendam. Secundò, quia Deus ratione talis juris constituitur debitor; sed debitor non est absque obligatione; ergo &c.

Tertiò, quia jus acquisitum ex contractu, conventionione, & promissione respicit essentialiter alterum contrahentem, pacifcentem, & promittentem obligatum, ut rem promissam, & pactam opere adimpleat, etiam si ipse contrahens, pacifcens, & promittens sit Deus, quando talis obligatio in Deo nullam arguit imperfectionem; sed talis obligatio nullam arguit imperfectionem in Deo; siquidem tunc obligatio oritur ex jure alterius cum

cum imperfectione, quando oritur independenter à libito proprio; sic enim servus obligatur cum imperfectione iure domini, non verò dominus iure, quod ipsius libera promissione servus acquirit; sed obligatio Dei ponitur à nobis dependens à libito divino, quatenus ipse liberè voluit se ex sua promissione obligare; ergo &c.

SECTIO XLVII.

Proponuntur argumenta contraria, & dissolvuntur.

999. **A**RGUES 1. Non datur rigorosa iustitia commutativa, nisi ubi datur unus, & alius; siquidem defectu huius conditionis non datur talis iustitia inter patrem, & filium; neque inter dominum, & servum; quidquid enim habet filius, & servus, habet dependenter à patre, & domino; sed inter Deum, & hominem non datur unus, & alius cum perfectà alterci- tate; siquidem majori cum dependentià à Deo habet homo quidquid habet, quam filius à patre, & servus à domino; ergo &c. Respondeo negando minorem; datur enim inter Deum, & hominem unus, & alius cum perfectà altereitate secundum voluntates liberas, quod sufficit ad propriam iustitiam commutativam, supposità Dei promissione sub conditione operis, & ipso opere supposito.

1000. Patet in exemplis adductis, pater enim, & dominus, supposito pacto, & eorum promissione facta filio, & servo, possunt eis manere obligati ex propria iustitia commutativa, non obstante dependentià filii à patre, & servi à domino; ergo etiam sic poterit Deus homini obligari ex conventionione, & promissione ei à Deo factà. Confirmatur, quia Deus potest obligari creaturæ ex fidelitate, ut ipsi Adversarii affirmant, non obstante illius dependentià à Deo; ergo etiam sic poterit obligari ex iustitia, supposità illius promissione veluti onerosà, nempe *dabo, si feceris*.

1001. Instabis: Ideo dominus creatus (idemque de patre respectu filii), potest facta conventionione, obligari servo ex iustitia, quia servus solum talis est accidentaliter, sicque conventionione facta, potest designare esse illius servus quoad aliquas actiones etiam ei aliunde debitas; sed hoc non potest accidere in homine respectu Dei; utpote qui essentialiter est ejus servus in ordine ad omnes actiones, cum omnes sint ei debite; ergo &c. Respondeo negando majorem; licet enim servus in creatis esset essentialiter talis, adhuc posset cum domino pacisci, ipso domino ita volente, & promittente stare conventioni, ex qua resularet in domino sic volente se obligare propria, & stricta obligatio iustitiæ ad servum. Unde de facto ex illa servitute accidentali solum sequitur, dominium in domino creato esse imperfectum, tum quia non est dominus servi quoad vitam, & ejus membra: tum quia potest totaliter amitti, quod locum non habet in creatura respectu Dei.

1002. Argues 2. Si Deus posset ita homini obligari ex iustitia, sequeretur, non posse dare alteri rem illam, ad quam reddendam maneret sic obligatus; sed hoc valde minueret ejus perfectissimum dominium in creaturas; ergo &c. Respondeo concedendo sequelam, neque illà admittà, supposità conventionione, & promissione Dei, sequitur minui, sed tantum ligari ejus dominium, in quo nulla datur repugnantia, aut imperfectio. Patet, quia dominium Dei,

Tom. 2.

etsi perfectissimum, posità illius promissione simplici, potest sic ligari ex fidelitate, ut ipsi Adversarii concedunt, absque ulla imperfectione; ergo etiam sine illa poterit ligari ex iustitia, posità promissione onerosà.

Instabis: Deus non potest se determinare ad producendam creaturam essentialiter æternam; siquidem illà productà, licet ex suppositione, non posset illam annihilare, sicque minueretur ejus dominium, extra quod maneret talis creatura; ergo etiam non poterit obligari ex iustitia dare rem aliquam creaturæ; siquidem posità tali obligatione, licet ex suppositione, non posset talem rem alteri donare, sicque maneret ejus dominium diminutum, & imperfectum. Respondeo primò negando antecedens, ut patet ex alibi dictis in *Metaph. tract. 8. d. 1. n. 119.* ex quo potius confirmatur, quam infirmatur doctrina à nobis tradita.

Respondeo secundò, dato antecedente, negando consequentiam; diversa ratio est, quia creatura illa essentialiter æterna, cum ex sua essentia haberet in æternum durare, ex sua essentia esset independentes à Deo in suo esse, & conservari, etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, quæ ad rerum essentias nō extenditur; hoc autem repugnat & perfectio Dei dominio, & imperfectioni naturæ creatæ, quæ est essentialiter ab alio, & potens deficere: at verò gloria data Petro v.g. ex iustitia, non manet ex se, & essentialiter non dabilis alteri, sed solum accidentaliter, & ab extrinseco ratione promissionis divinæ. Accedit, quod Deus promittit Petro sub conditione actus meritorii ut quatuor v.g. Visionem Beatam etiam ut quatuor absolute, & non determinat quoad hos, aut illos quatuor gradus; sicque eodem gradus numero potest, si velit, dare Paulo, aliosque Petro donare. Additur, eandem instantiam militare in re donata ex sola simplici promissione Dei, quam Contrarii admittunt non posse alteri donari ratione fidelitatis à Deo servandæ.

Argues 3. Majori vinculo translatum est jus creaturæ in Deum ratione subjectionis, quam Religiosi in religionem ratione voti paupertatis; sed Religiosus non potest sibi obligare religionem ex iustitia, etiam facta quacunque conventionione; neque Prælatus potest se obligare subdito ad aliquid ei tribuendum irrevocabiler, ut est communis sententia; ergo idem dicendum de creatura respectu Dei. Respondeo primò, argumentum, si valet, etiam probare, neque ex fidelitate posse Deum obligari creaturæ, ut Adversarii docent; siquidem neque sic juxta communem sententiam, potest Prælatus obligari subdito ad aliquid ei dandum irrevocabiler.

Respondeo secundò negando consequentiam; diversa ratio est, quia status religiosus, cum sit voluntarius, & dependens ab institutione, & acceptatione hominum, potuerunt homines eas clausulas ponere, sine quibus talis status non consisteret, & sic posterunt illam abdicationem domini: ex hoc tamen non bene arguitur ad obligationem Dei respectu creaturæ, cui liberè voluit se obligare, posita ejus promissione, & conventionione. Additur, quod saltem Pontifex potest contractum illum efficere cum Religioso; siquidem solemnitas voti ab eo dependet; si autem id non potest Prælatus inferior, ideo est, quia ejus potestas est limitata, & subordinata Pontifici; ergo etiam confirmatur potius quam infirmatur tradita doctrina, ut consideranti patebit.

Argues 4. Si Deus posset ex iustitia obligari, sequeretur, non manere perfectissimum rerum

A a a

omnium